

Une amoureuse trahie en colère

*Didon exprime sa rage : Énée a prévu de quitter la ville sans l'en avertir.*

• Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum 305

Posse nefas, tacitusque mea decedere terra ?

Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,

Nec moritura tenet crudeli funere Dido ?

Quin etiam hiberno moliris sidere classem,

Et mediis properas Aquilonibus ire per altum , 310

Crudelis ! Quid ? si non arva aliena domosque

Ignotas peteres, et Troja antiqua maneret,

Troja per undosum peteretur classibus æquor ?

Mene fugis ? Per ego has lacrymas dextramque tuam , te

(Quando aliud mihi jam miseræ nihil ipsa reliqui ), 315

Per connubia nostra , per inceptos hymenæos ;

Si bene quid de te merui , fuit aut tibi quidquam

Dulce meum , miserere domus labentis , et istam ,

Oro, si quis adhuc precibus locus , exue mentem !

Te propter Libycæ gentes Nomadumque tyranni 320

Odere , infensi Tyrii ; te propter eumdem

Exstinctus pudor, et, qua sola sidera adibam ,

Fama prior : cui me moribundam deseris, hospes ?

Hoc solum nomen quoniam de conjugé restat.

Quid moror ? an mea Pygmalion dum mœnia frater 325

Destruat, aut captam ducat Gætulus Iarbas ?

Saltēm si qua mihi de te suscepta fuisset

Ante fugam sobolos ; si quis mihi parvulus aula

Luderet Æneas , qui te tamen ore referret ,

Non equidem omnino capta ac deserta viderer ! » 330

Dixerat. Ille Jovis monitis immota tenebat

Lumina , et obnixus curam sub corde premebat.